

C A P U T VII.
DE METHODICIS PROPOSITIONUM
DENOMINATIONIBUS.

§. 1.

Propositiones demum, quatenus in systemate adhiberi, securitate methodi considerari solent varie denominantur: atque sic primo loco veniunt definitiones, exinde axiomata & postulata, haec theorematum & problematum subsequuntur, quibus corollaria tandem & scholia subnectuntur.

§. 2.

Quid propositio theoretica? quid practica?

Prius tamen, quam ad exponendas horum notiones transeamus, duo alia propositionum nomina declaramus, propositionis theoreticae scilicet & practicae. Propositio theoretica vocatur, quae praedicatum subjecto con- aut disconvenire enuntiat. Practica dicitur, quae aliquid faciendum docet, vel modum, quo quid factum est, aut fieri saltem potest, describit.

§. 3.

Quid definitio?

Definitio est propositio, in qua de definito praedicatur definitio, primumque demonstrandi principium esse communiter dicitur, utpote cum ex definitione demum deduci debeat, quidquid aliqui aut convenit, aut convenire saltem potest.

§. 4.

§. 4.

Quid Axiomata? quid postulata?

Axioma propositio theoretica est, practica est postulatum. Axiomata & postulata propositiones vocantur indemonstrabiles, quatenus scilicet demonstratione non indigent ad perspiciendam earum veritatem; aut quia ex unica statim definitione fluunt, sicut ajunt alii; aut quia earum veritas cuilibet terminos intelligenti continuo innoteat, quemadmodum id alii exponunt; quae in idem tamen pene coincidunt. Axiomata & postulata inter demonstrandi principia jure recensentur.

§. 5.

De Axiomatibus scholasticorum.

Scholastici quoque sua decantabant axiomata; quae tamen nil minus erant quam vera axiomata: etenim propositiones plerumque erant terminis obscuris, ambiguisque seu aequivocis, quarumque veritate nihil incertius, quas tamen ceu veras certasque gratuito ac sine ratione adsumebant.

§. 6.

Quid theorema? quid problema?

Theorematum propositionibus theoreticis, practicis problemata adnumerantur. Et tam theorematum quam problemata propositiones vocantur demonstrabiles, quatenus nimirum vel ex pluribus solum definitionibus deducuntur, vel, quod vere idem est, ut de earum veritate constet, debent demonstrari.

§. 7.

Quid corollaria seu consequaria?

Corollaria seu consequaria , quemadmodum jam ipsa vox sat prodere videtur , propositiones sunt , quae ex axiōmatibus & postulatis , vel ex theorematibus etiam & problematibus antecedenter tamen demonstratis per legitimam consequentiam derivantur .

§. 8.

Quid scholia?

Scho'ia dicuntur ejusmodi propositiones , in quibus vel obscura declarantur , vel ad dubia respondetur , vel usus doctrinae indicatur , aut historia , vel fontes inventorum enarrantur , aut denique nonnulla lectori monita suppeditantur .

§. 9.

Hic notanda.

Ubi adverte , quod , licet Mathematici has propositionum species seu methodo , quam vocant , suae proprias vindicent , eae tamen in aliis quibusvis scientiis debito ordine pertractatis aequre occurrant , quamvis in aliis non ita , sicut in mathematicis , semper exprimantur .



LIBER